



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Venerabilis Arnesti, (vulgò Ernesti) Primi Archiepiscopi Pragensis

Balbín, Bohuslav

Pragæ, 1664

Notæ in Caput III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42763

Notæ in Caput III.

TAntæ circa ARNESTI primâ ætatem tenebræ.

Commune istud generis humani fatum, ut non modò corpus mortale circumferamus, sed pleraque mortalium facta mortalia sint, id plurimis etiam sanctissimis, & summis virtute Viris accidit, ut aliorum neq; Parentes, multòque etiam minùs prima pueritia acta, sciantur. Quàm pauca de Divina Matre sacris litteris tradita sunt! nimirum aternitati servantur.

Nulla memoria in terris diuturna.

Arces Nobilitati placet.

In arce Hofinna. Delectatur arcibus Nobilitas, &

altitudinem etiam in habitatione sectatur. De Arcium commodis & necessitate vide Scipionem Ammiratum in Politicis; quedam etiam brevissimè attulit, ut solet, Arnelmus de Bood Tomo III. Symbolorum in Vincentio Gonzaga.

Villa Chotaun. Conciliari forsitan utraq; sententia

ob loci vicinitatem potest: Hofinna Arnesti Arx, Chotaun aditus, ut suspicor, pagus & modò Hofinnam, modo Chotaun vulgus appellabat. ejus Arcis rudera hodiè que penes Auwal spectantur.

Bohusius Litomericensis Præpositus. Succes-

sisse in hoc munere Bohussius, Henrico de Schonburg videtur; hic ille Henricus est qui Ioannem IV. Episcopum Pragensem Arnesti antecessorem, Virum Sanctissimum, inanibus Romæ delationibus multùm exagitavit. Undecim ipsos annos cum summa Ecclesie sue jactura calumnijs jactatus Episcopus Regno abfuit, absolutus tandem A. 1329. revertit in Patriam. Vita Sanctorum perpetua quaedam patientia est, atque ut stelle salis, marinis que humoribus pasci dicuntur à Poëtis, sic Viri Sancti calumnijs, quæ eorum sanctimoniam plerumque ostendunt aut augent, aut faciunt, exercentur.

Arnesti antecessor multis agitatus adversis.

Virtutem comitantur adversa.

Arne-